



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Cap. I. De Natura Sacramentorum Novæ legis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**



# TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

---

## CAPUT PRIMUM.

*De Natura Sacramentorum Novæ Legis.*

Q. I. *Quid est quod duplex est Sacramentum?*  
 Resp. **Q** Sacramentum genericè sumptum,  
 est signum sensibile, gratiæ sanctificantis, per-  
 manenter à Deo institutum. Sacramentum  
 verò novæ Legis est signum sensibile, perma-  
 nenter à Christo institutum, ad significandam  
 & producendam gratiam sanctificantem ex  
 opere operato. Undè in eo maximè differt  
 à Sacramentis antiquæ Legis, quòd hæc non  
 causarent gratiam, ex opere operato, sed tan-  
 tum illam significarent nobis dandam per Pas-  
 sionem Christi, ut docet Conc. Florent.

Sacra.

Sacramenta novæ Legis sunt septem, non plura nec pauciora, videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-UNCTIO, Ordo, & Matrimonium. *Conc. Trid. sess. 7. can. 1.*

Q. 2. *Quibusnam Sacramenta essentialiter perficiuntur?*

Resp. *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & personâ Ministri conferentis Sacramentum cum intentione, faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* *Conc. Florentin. in decreto de Sacram. & constat etiam ex traditione & perpetua praxi Ecclesiæ.*

Porro Materia Sacramenti dicitur id, quod in Sacramento minus perfectè significat ejus effectum: unde debet determinari per aliud ad eum perfectè significandum. Duplex est materia nempe remota, & proxima. Materia remota est res, quæ adhibetur, ut Aqua in Baptismo. Proxima est usus seu applicatio talis rei, ut Ablutio. Forma verò est aliquid sensibile quod clariùs effectum Sacramenti indicat, & determinat, ac perficit significationem materiæ obscuram, nec satis determinatam. Verba autem strictè sumpta, seu vocalia, sunt forma essentialis in omnibus Sacramentis, saltem præter Matrimonium, quod juxta communio rem sententiam, potest per-

fici

fici sine benedictione Sacerdotis, sed solâ Scripturâ, vel nutu exprimente mutuum consensum, quæ sunt verba virtualia, in quantum sunt expressiva consensûs, & sufficiunt in contractibus; quia, inquit, cum hoc Sacramentum consistat adæquatè in contractu Matrimoniali, quem Christus evexit adesse Sacramenti, nihil ad ejus valorem requiritur, nisi quod ad legitimum contractum necessarium est. Unde in decreto citato dicitur Matrimonium effici mutuo contrahentium consensu, *regulariter* per verba de præsentî expresso. Aliud est de sex aliis, ut constat ex traditione, & praxi Ecclesiæ.

*Q. 3. Qualis unio inter materiam & formam requiritur ad valorem Sacramenti?*

*Resp.* Requiritur utriusque coexistentia, seu similtas moralis, quæ secundum significationem verborum formæ & quantitatem actionis, per quam Sacramentum fit, sufficiat tum ad veritatem formæ, tum ut verba censeantur cadere super talem materiam, & cum illa unum totale signum constituere. Sic in Baptismo requiritur talis conjunctio, ut dum Minister verba profert, censeatur moraliter etiam lavare. Hæc autem unio moralis sufficit, quia Sacramentum est compositum quoddam morale, conficiendum ab hominibus, ideoque more humano; & major non est sæpè possibilis moraliter: unde si exigeretur, Sacramenta sæpè irrita forent.

Porro

Porro hæc unio diversa est pro diversitate Sacramentorum; nam requiritur major in Baptismo, ob formam exprimentem ablutionem actualem: & major in confectioe Eucharistiæ, cum forma sit demonstrativa Corporis Christi, sub accidentibus panis & vini, quorum substantiam destruit.

Sacramentum verò Pœnitentiæ non exigit tam strictam unionem; quia institutum est per modum iudicii, in quo sententia non semper statim sequitur causæ examen. In Matrimonio unius consensus potest alterius consensum tamdiu sequi, quamdiu hic moraliter perseverare censetur, sicut in aliis contractibus; quia fundatur in naturâ contractûs. Tamen quoad praxim materia & forma, quantum fieri potest, simul sunt conjungendæ.

*Q. 4. Quenam mutatio materia, vel formæ, irritat Sacramentum?*

*Resp.* Quævis mutatio substantialis in materiâ vel formâ invalidat Sacramentum; quia tollit materiam vel formam quam Christus instituit. Accidentalîs verò non irritat, quia cum tali mutatione manent materia & forma quales Christus instituit. Sed circa hoc observanda sunt sequentia.

I. Mutatio materiæ est substantialis, quando materia nomine & re, secundum communem æstimationem & usum, differt ab eâ, quam Christus instituit, & Ecclesia usurpat;  
ita

ita ut in ordine ad usus humanos, & prout sub tali nomine usurpatur, sit notabilis varietas; ut si in Baptismo adhibeatur vinum loco aquæ. Mutatio est accidentalis, quando materia est eadem re & nomine cum eâ quàm Christus instituit, sed non adhibetur eodem modo, quo Ecclesia adhibet, ut si in Baptismo adhibeatur sine necessitate aqua canosa, vel non benedicta.

2. Mutatio formæ est substantialis, quando vel non adhibentur verba vocalia, ubi essentialiter requiruntur, ut re ipsa requiruntur in omnibus, saltem excepto Matrimonio; vel si verba vocalia sic mutantur, ut non maneat sensus à Christo institutus, ac determinatus tanquam necessarius. Quævis verò formæ mutatio, quâ non destruitur sensus à Christo institutus, est accidentalis.

Quænam autem materia, vel quæ verba requirantur ad essentiam Sacramenti, cognoscimus ex usu & Doctrinâ Ecclesiæ, quæ cum sit *columna ac firmamentum veritatis*, non potest errare in iis, quæ ad fidem, bonos mores, & ad Sacramenta, & generalem disciplinam ac Dei cultum pertinent.

3. Sensus verborum in æquivocatione ab intentione proferentis pendet. Hinc hæc forma: *Ego te baptizo in nomine parentis, &c.* habet bonum sensum, si proferens per *Tò parentis* patrem intelligat, malum si matrem. Sed extra æquivocationem sensus verborum  
non

non pendet ab intentione proferentis: hinc valebat baptismus Arianorum, quamvis circa formam malè sentirent, quia illam rectè pronuntiabant. E contra ille non baptizaret validè, qui uteretur verbis nihil significantibus; vel aliquid aliud, etsi per illa intenderet verum sensum; quia in actione publica, qualis est Baptismus, verba significant secundum communem, & usitatam acceptionem.

4. Mutatio verborum sex modis fieri potest, nimirum per additionem, vel detractionem alicujus vocis, positionem unius vocis loco alterius, corruptionem alicujus vocis detrahendo, vel mutando aliquam syllabam; transpositionem, & interruptionem, pronuntians scilicet unam partem formæ, ac deinde quiescendo per aliquod tempus, vel loquendo aliquid aliud, & demum perficiendo formæ prolationem. Quoties igitur aliquo ex modis illis ita mutantur verba, ut pereat sensus à Christo intentus, mutatur substantialiter vera forma: secùs, si hic sensus maneat. Hinc verba corruptè pronuntiata ex imperitia, balbutie, linguæ præcipitantia, aliove simili vitio, non tollunt sensum substantialem, si adhuc sic proferantur, ut omnibus spectatis eundem sensum animis audientium ingenerent, quem rectè prolata: secùs, si fiat contrarium. Sic hæc corruptio verborum ex sola ignorantia linguæ prolatorum: *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta*, non destruit verum sensum:

sum: unde Zacharias Papa c. 86. de consec. dist. 4. declaravit Baptismum sic collatum sine animo introducendi errorem valuisse: alioqui enim censeretur non intendisse facere id quod facit vera Ecclesia. Quisque tamen tenetur diligentiam magnam adhibere, ut formam Sacramentorum rectè integrè, & distinctè pronunciet, tum ob reverentiam Sacramento debitam, tum etiam ob periculum corruptionis.

5. Interruptio destruit verum sensum, adeoque substantiam formæ, quoties tollit unitatem moralem formæ, ut si quis dicat: *Ego te baptizo*, nec nisi recitato uno Psalmo proseguatur: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Secus, si non tollat. Hinc verborum interruptio, quæ tam brevis est, ut morali iudicio verba adhuc faciant unam orationem, non adimit sensum formæ, ut si baptizans, postquam dixit, *Ego te baptizo*, tussiat, vel alius dicat, *filete*, ac deinde addat, *in nomine Patris, &c.* qualis autem & quanta interruptio tollat unitatem moralem orationis, hoc debet æstimari secundum iudicium prudens, ex circumstantiis, modo, ac duratione interruptionis: nam res moralis, qualis est ista, ex prudenti æstimatione pendet. Illicita tamen est quævis interruptio facta sine necessitate, cum sit contra usum Ecclesiæ & reverentiam Sacramento debitam.



*Q. 5. Quale est peccatum mutare materiam vel formam?*

*Resp. I.* Mutare alterutram substantialiter est mortale 1. Contra Religionem; nam est gravis irreverentia in Christum auctorem Sacramentorum, agendo contra ejus institutionem in re gravi, eamque pervertendo, nec ponendo omnia, quæ voluit poni ad gratiam efficiendam; estque ipso facto irrisio quædam rei maximè Sacræ. 2. Contra charitatem, voluntariè privando proximum gravi bono spirituali. 3. Contra justitiam: nam hoc ipso quòd quis ministrare vult, tacitè promitti & se obligat ad ministrandum sicuti res exigit, & in utilitatem suscipientis.

*Resp. II.* Est etiam mortale alterutram mutare accidentaliter, si mutatio sit notabilis & absque necessitate, ex Trid. sess. 7. can. 13. quia fieret contra præceptum Ecclesiæ, & usum ejus vim legis habentem, in re gravi ad Religionem pertinente. Unde Missale Romanum de defect. ait eum gravissimè peccaturum, qui aliquid formæ Eucharistiæ adderet, quod tamen significationem non mutaret. Imò etiam si mutatio sit in se levis, sed fiat ex contemptu, vel ex animo inducendi usum contrarium ritui Ecclesiæ, aut ex simili intentione Schismatica; nam tunc contemnitur Ecclesia, & Spiritus S. quo pregitur, & cujus instinctu res illas instituit. Item si fiat cum scandalo, aut periculo errandi circa substantialia. Ita passim

Doctores, qui addunt mutationem accidentalem, his seclusis posse esse venialem, ob levitatem materiæ.

Q. 6. *An licet aliquando uti materiâ, aut formâ dubiâ, vel probabili, tantum in Sacramento?*

Resp. I. Extra necessitatem proximi tenemur semper sub mortali in iis, quæ pertinent ad efficaciam, vel valorem Sacramenti, sequi in praxi sententiam tutiorem probabilem, relicta opposita etiam probabiliore. Ita Suarez, & alii. quia alioqui exponeretur sine necessitate Sacramentum periculo nullitatis; nam valor & efficacia Sacramenti pendet à sola institutione Christi, & nullatenus ab opinione hominum quantumvis probabili, quæ immutare & supplere non potest id quod Christus voluit esse necessarium ad valorem & effectum Sacramenti. Nec ignorantia invincibilis, licet excuset à culpa, potest defectum rei ad valorem actûs requisitæ supplere. Ergo si opinio, etsi probabilior, falsa sit, ut potest esse & nî re ipsâ ponantur & adsint omnia, quæ Christus instituit ac exigit, Sacramentum erit invalidum & sine effectû. Quare qui utitur materiâ vel formâ non certâ, quando potest certam adhibere, peccat mortaliter. I. Contra Religionem, sine necessitate exponendo Sacramentum periculo nullitatis, & inefficaciæ: quod gravis est irreverentia in Christum  
ejus

ejus auctorem, ejus nomine exercendo actionem, eo modo, quo probabile est non posse habere effectum, nec rationem Sacramentalem, ideóque esse inanem. Estque per se quidam contemptus seu irrisio rerum divinarum. 2. Contra charitatem, nam sine justâ causâ exponit proximum jacturæ maximi boni, quod percipitur ex Sacramento valido, cum possit illi talem fructum certò conferre. 3. Contra justitiam, præsertim si sit Pastor: nam proximus habet jus, ut Sacramentum sibi modo, quantum fieri potest, certo & infallibili ministraretur, eo ipso quòd se ad illud suscipiendum submittat; & sacerdos hoc ipso quòd ministrare velit, se obligat tacitè ad dandum quòd petitur, Sacramentum scilicet certò validum: aliàs alius quæreretur. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, vel periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis aut Episcopalis.*

Resp. II. Tenetur sub mortali suscipiens sequi in praxi sententiâ tutiorem probabilem, relictâ oppositâ, etsi verè probabili, in iis quæ ex parte ipsius requiruntur ad valorem vel effectum Sacramenti: quia aliàs exponeret Sacramentum periculo nullitatis, vel inefficiæ, ob rationem allatam, quod est grave sacrilegium:

gium: nam sicut reddere Sacramentum nullum, aut illud effectū suo privare est gravis irreverentia in Christum, cum Sacramentum sit moraliter actio Christi: ita & se exponere periculo id faciendi; & utrumque eodem præcepto Religionis prohibetur.

*Resp. III.* Tenemur in necessitate extrema proximi, illi administrare Sacramentum cum materia vel dispositione probabili tantum, vel etiam dubia, dum certa haberi non potest: nam lex charitatis præcipit, ut in extrema necessitate proximi illi opitulemur meliori modo, quo possumus: at medium probabile vel dubium melius est nullo. Nec tunc fit irreverentia Christo, vel Sacramento; quia cum Christus illud instituerit pro hominum salute, vult ut magis provideamus securitati salutis proximi, quam Sacramenti, utriusque dum periculum vitari nequit. Quare in tali necessitate vult, ut succurramus proximo, etiam cum periculo nullitatis Sacramenti, adhibendo tamen probabiliorem tutioremque materiam quæ adhiberi potest. Et verò lex charitatis prævalet Religioni.

Porro hoc locum habet duntaxat in Sacramentis, quæ sunt de necessitate medii, nempe Baptismo & Pœnitentiâ: quia non licet Sacramentum ullum exponere periculo nullitatis, nisi cum alioqui homo exponeretur damnationis æternæ periculo. Hinc nunquam licet

et adhibere materiam dubiam in Eucharistiâ,  
Ordine, &c.

*Q. 7. An licet supra eandem materiam repetere  
formam?*

*Resp.* Non licet, nisi sit dubium rationabi-  
le de validitate formæ jam prolatae; vel de ejus  
prolatione: quia tunc frustra adhiberetur al-  
tera formæ prolatio cum irreverentia Sacra-  
menti. Quod si tale dubium adsit, debet for-  
ma iterari sub conditione, ne Sacramentum  
maneat irritum, cum illius irreverentia ac dam-  
no proximi. Dubium autem imprudens, quale  
solet esse in scrupulosis non sufficit, sed con-  
temnendum est.

## CAPUT II.

### *De Ministro Sacramentorum.*

**H**Oc nomine intelligitur idoneus effector  
Sacramenti. Constat solos homines  
ratione utentes esse Ministros Sacramentorum  
ordinarios: nam eos solos Christus ad hoc  
munus designavit. Non omnes tamen ho-  
mines possunt esse omnium Ministri; nam  
Laici non possunt validè efficere nisi Baptis-  
mum & Matrimonium; ut constat ex perpe-  
tua traditione & praxi Ecclesiæ.

*Q. I. An requiritur intentio faciendi Sacra-  
mentum?*

*Not.* Consentiunt omnes Catholici. 1. Non  
requiri

N 3